

cum debitore suo, ne ab eo pecuniam petat; si conveniatur, excipit rectè: si tamèn postea in contrarium aliud pactum sit subsecutum de petendo, per Replicationem eliditur priùs pactum, & exceptio indè nata; quia hæc ratione pacti posterioris est injusta.

Quid replicationi opponitur?

Duplicatio, adjuvandi Rei causa, quæ si injusta videatur Actori, salva ei est *Triplicatio*. (1) Et si hæc nocere possit Reo, illi tunc concessa alia est exceptio ad excludendam Actoris triplicationem, quæ habita ordinis ratione *Quadruplicatio* dicitur. Cui deinceps opponitur *Quintuplicatio*: & sic deinceps multiplicantur nomina, donec aut Actor habeat quod objiciat, aut Reus, quo objectum diluat & elidat. Sed ne in infinitum procedatur litigando, Judicis erit modum ponere, finemque litigatoribus præscribere: cum infinitas sit vitanda; & refrenanda licentia in immensum evagandi, & sæpius facta repetendi quæ magis causam implicant, quàm explicant.

TIT. XV.

DE INTERDICTIS.

Sequitur de Interdictis, quia hæc vice Actionum habentur.

Quæ dicuntur interdicta?

Jure veteri interdictæ erant formulæ seu conceptiones verborum, quibus Prætor cum de possessione, aut quasi possessione, inter aliquos contendebatur, aliquid fieri jubebat, aut prohibebat quoad de proprietate judicaretur. (1) Quæ formulæ ex eo appellantur *Interdicta*, quod inter duos litigantes à Prætore dicerentur interim.

Hodiè verò sublatiis formulis, interdicta sunt actiones extraordinariæ de possessione, vel quasi possessione, à Prætore datæ. (2)

Dico esse *actiones*: quia hodiè, postquam judicia facta sunt extraordinaria, pro interdictis exercentur actiones, quibus summatim agitur causa possessionis, exactiori veritatis examine remisso ad petitorium.

Differuntne ab actionibus?

Differunt in multis, licet actionum nomine veniant Interdicta. (3) Nam actiones partim sunt Civiles, partim Prætorix; Interdicta omnia Prætoria. Actiones alix in Rem, alix in Personam; Interdicta vi ipsa sunt personalia, licet in rem scripta. Actiones mul-

TIT.

(1) §. Rursus diff. l. 2. §. 3.

(1) In pr. v. (2) §. 2. & §. fin. b. l. (3) L. 37. ff. de obl. & act.

multæ sunt de proprietate rerum privatarum: Interdicta omnia sunt de possessione, quæ est facti, & in publicis interponuntur. Denique Actiones causam finiunt, ac terminant: Interdicta tantum præparant & ordinant causam proprietatis.

Differuntne ab Edictis?

Planè: quia *Edicta* publicum jus constituunt generatim, & ad omnes pertinent: *Interdicta* verò inter privatas tantum personas redduntur, & ad eas spectant: inter quas proponuntur.

Quotuplicia sunt Interdicta?

Triplex hoc Tit. divisio interdictorum proponitur: prima desumpta à forma concipiendi interdicta: hinc alia sunt *Prohibitoria*, alia *Restitutoria*, alia *Exhibitoria*: secunda à fine, in quem tendunt Interdicta, quæ vel sunt *adipiscendæ possessionis*, vel *retinendæ*, vel *recuperandæ*: tertia ab accidenti, in *Simplicia*, & *Duplicia*. Addi potest & quarta, sumpta à materia, id est, rebus, de quibus Interdicta competunt.

De quibus igitur rebus competunt Interdicta?

De rebus aut *divinis*, aut de locis sacris vel religiosis: aut *humanis*. (1) *De rebus sacris* unicum est interdictum. *Ne quid in loco sacro fiat*, id est, ne quid fiat, deformitatis vel incommodi causa. *De rebus religiosis* sunt duo interdicta: I. *De mortuo inferendo*, II. *De sepulchro ædificando*. Illud datur adversus eum, qui mortuum sepelire: hoc contra eum, qui sepulchrum ædificare, vel reficere prohibet.

De

(1) L. 1. in pr. ff. b. t.

De rebus humanis quæ interdicta dantur?

Res humanæ, sive hominum, vel sunt *Publicæ*, vel *singularum*. *De rebus humanis publicis* est interdictum, *Ne quid in loco publico fiat*: quod datur cuivis ex populo, adversus eum qui in publico vult facere, quod legibus prohibetur. (1) Item, *Ne quid in itinere fiat*, seu ne in eo alicui vis fiat. Item *De loco publico fruendo*: quod datur conductori loci publici adversus eum, qui facit, quominus eo frui possit. Item, *Ut in flumine publico navigare liceat*: quod datur cuivis de populo, adversus prohibentem, in lacu, & flumine publico navigare, vel in ripa onerare & exonerare.

De rebus privatis, sunt pleraque interdicta, quæ hoc Tit. proponuntur.

Quæ dicuntur Interdicta Prohibitoria, Restitutoria, & Exhibitoria?

Prohibitoria sunt, quibus Prætor vetat aliquid fieri: (2) veluti vim sine vitio possidenti: vel mortuum inferenti in locum, quo ei jus erat inferendis: aut in flumine publico, ripave quid fieri, quo pejus navigetur.

Restitutoria sunt, quibus Prætor jubet aliquid restitui, nimirum, rem vel opus aliquod veluti bonorum possessionem, aut legata citrò voluntatem hæredis accepta.

Exhibitoria sunt, per quæ jubet Prætor exhiberi aliquid, veluti tabulas testamenti, vel liberum homi-

mi-

(1) Tit. ff. de loc. & itin. publ. & sit. seq.

(2) §. Summa.

minem, aut eum, de cuius statu queritur, servus an liber sit.

Cur interdicta quædam sunt Adipiscendæ possessionis, quædam Retinendæ, quædam Recuperandæ?

Quia tendunt partim ad acquirendam de novo possessionem, contra occupatorem: partim ad ruen- dam pristinam, contra turbatorem; partim ad recuperandam amissam, contra expulsorem.

Quæ sunt interdicta Adipiscendæ possessionis?

Quæ competunt iis, qui ante non fuerint nacti possessionem; non etiam, qui eandem nacti amiserint. (1) Cujusmodi est interdictum, *Quorum bonorum, Quod legatorum, & interdictum Salvianum.* Interdictum quorum bonorum, cui, & adversus quem datur?

Datur bonorum possessori, id est, ei, qui per Præ- torem loco hæredis constitutus est, adversus eum, vel pro hærede possidet, putans se hæredem esse, cum non sit; vel pro possessore, hoc est, qui nullo jure, seu titulo rem hæreditariam, vel etiam totam hæreditatem, sciens eam ad se non pertinere, pos- sidet. (2)

Igitur non datur adversus justo titulo possiden- tem: (3) hic enim cum sit in pari causa cum petito- re, potior esse debet ratione possessionis. Neque etiam redditur adversus debitores hæreditarios, qui jus quasi possident; sed adversus corporum posses- sores, ut ea in petitorum transferantur.

In

(1) §. Sequens. §. Adipiscendæ. (2) L. 1. ff. & C. quorum & bonorum. (3) L. 2. ff. dict. tit.

In quo interdictum hoc petitioni hereditatis simile, aut dissimile est?

Simile est, quod utrumque sit iudicium universa- le, & universaliter intentetur; quod utrumque ad- versus eum, qui pro hærede vel pro possessore pos- sidet. Utrumque eò tendit, ut res possessa restitua- tur. Neutrum datur adversus titulo possidentem.

Dissimile, in hoc, quod interdictum sit de pos- sessione; Petitio hereditatis de jure ac dominio: (1) quod interdictum hoc non datur in debitorem hæ- reditatis; Petitio hereditatis etiam in eum detur, ut solvere cogatur hæredi.

Interdictum Quod legatorum, cui competit, adversus quem, & ad quid?

Competit hæredi, qui satisdedit, adversus quemli- bet, legatorum nomine rem hæreditariam sine hæ- redis voluntate occupantem; ad hoc, ut eam resti- tuat, vel in id, quod hæredis interest, condemne- tur. (2) Nec facit, quod legatarius sit rei legatæ dominus, & malè videatur hæres petere res, quas restituere debet: nam interest hæredis habere res penès se, ut quatenus ultra dodrantem est legatum, commodius sibi Falcidiam retineat. (3) Contra do- natarium mortis causa hoc Interdictum non compe- tit, quia possidet is voluntate defuncti, ut Falcid- dia hæredi sit salva.

Interdictum Salvianum cui, & contra quem datur?

Datur domino eidemque locatori prædii rustici,
Oo con-

(1) L. 9. de pet. hered. (2) L. 1. §. 2. ff. quod. le- gat. l. 1. C. eod. (3) Diff. l. 1. §. 5.

contrà conductorem, ad persequendam possessionem rerum conductoris, pro mercede tacite vel expressè pignori obligatarum. (1) At quasi Salvianum datur non tantùm domino fundi, sed & cuilibet creditori, adversùs debitorem, ad persequendam possessionem rerum pignori obligatarum. (2) Quod & *Utile* dicitur, quia conceptum est in factum, adversùs possessorem quemlibet extraneum.

Quid differt hoc interdictum à Serviana actione?

I. Quod actio Serviana sit in rem, utpotè de jure pignoris, & detur contrà quemvis possessorem, etiam ipsum colonum. (3) Interdictum Salvianum est in personam, & de possessione, ut omnia interdicta, tantùmque detur contrà conductorem ipsum, qui debitor est adipiscendæ possessionis causa, ut ea restituatur.

II. Hoc interdictum est expeditius, cum sit possessorium, & sufficiat probare possessionem debitoris, tempore oppignorationis, non admissa exceptione dominii, Serviana verò est petitoria, ipsum pignus persequens, quod probandum est tempore contractus in bonis debitoris fuisse.

Quæ sunt Interdicta Retinenda possessionis?

Quæ interponuntur inter eos, qui ab utraque parte de proprietate alicujus rei contendunt, utroque ratione juris sui possidere volente, ita ut dubium sit, quis possidere debeat, & quis petitor, quis

(1) L. 1. ff. de Salviano interd. (2) Cujac. l. 5. obs. c. 24. (3) Tit. C. de prec. & Salvii interd. ibi Cujac.

quis verò possessor habendus sit: (1) Nisi enim exploratum antè fuerit utrius sit possessio, non potest petitoria actio institui. (2) Huic ergo Prætor constituit, ut, qui tempore instituti iudicii in possessione erat, is in ea permaneat, donè de proprietate cognoscatur: alter verò partes sustineat actoris, nimirùm is, qui ad iudicium provocavit.

Possessor in pari causa cur potior habetur?

Quia personam rei solet sustinere, & commodum illud habet, quod etiamsi ejus res non sit, si modò actor non potuerit suam esse probare, remaneat in suo loco possessio. (3) Adeoque commodius est possidere quàm petere, ut quoties de lucro uterque certat, semper durior causa sit petitoris, qui ad lucrum & victoriam causæ contendit. (4) Quin & ubi uterque litigantium in damnum incurrit, aut par est delictum, semper oneratur petitor, & melior habetur possessoris causa: sicut fit, cum de dolo excipitur petitoris. Atque hæc regulæ omnes ex hoc fonte manarunt, quod favorabiliores Rei potius, quàm Actor habeantur, absolvanturque Rei, ubi jura obscura sunt.

Quotuplex est hoc Interdictum?

Duplex, *Uti possidetis*, & *Utrubi*. Prius competit pro retinenda possessione earum rerum quæ sunt soli, atque immobiles: Posterius pro retinenda possessione rei mobilis. (5) Utrouque interdicto Prætor

Oo 2

vim

(1) §. Retinenda. (2) L. 1. & 3. uti possidetis. (3) §. Commodum. h. t. l. 128. ff. de R. I. (4) L. 33. & l. 126. §. ult. ff. de R. I. l. 154. & l. 125. ff. eod. (5) §. Sed interdictio l. 1. §. 4. ff. uti possidetis.

vim fieri veat, tueriturque cum, qui tempore litis contestatæ possidet. Consequenter proponitur post interdictum, *Unde vi*. Illud enim restituit vi amissam possessionem: Interdictum *Uti possidetis*, tueritur, ne amittatur possessio.

Qua utriusque hujus interdicti est differentia?

Olim in Interdicto *Uti possidetis*, potior erat is, qui rem possidebat tempore redditi interdicti: (1) in Interdicto *Utriusque*, is, qui majore parte anni, retrorsum numerati nec vi, nec clam, nec precario ab adversario possidebat. Majore parte anni possedis intelligebatur, etiam is, qui duobus tantum mensibus possederat.

Hodiè utriusque interdicti, quantum ad possessionem attinet, eadem est potestas: (2) nempe ut ille vincat in rebus tam immobilibus, quam mobilibus, qui possessionem nec vi, nec clam, nec precario ab adversario litis contestatæ tempore detinet. Novissimè tamèn prævalet is, qui vel justior rem, vel antiquiorem, possessionem probat. Nam hoc casu, si non appareat de titulo adversarii, præsumitur viriosa ejus possessio.

Quid juris, possessione utrinque aequaliter probata?

Tum puro præferendum eum, qui titulum suæ possessionis docebit. (3) Quod si in hoc pares sint litigantes, pro reo pronuntiandum: & si quis reus, quis actor sit, ingoretur, res sorte erit dirimenda.

Quo-

(1) *Vers. quorum.* (2) *Vers. hodiè c. 9. extrâ. de probat.*
(3) *L. 13. & 14. ff. de judic.*

Quoniam verò de possessione hinc agitur, dic quomodo ea acquiratur?

Acquiritur possessio corpore, & animo. Corpore, id est, corporali apprehensione rei: non per se animo, nec per se corpore, sed conjunctim utroque. (1) Ut proinde possessionem non acquirant illi, quibus sensus deest, quia aliàs dicendum foret, eam solo corpore acquiri. (2) Hinc furiosus & pupillus non querunt sibi possessionem, quod affectum tenendi non habeant, nisi tutoris, aut curatoris accedat auctoritas, quæ suppleat judicium furiosi & pupilli. Per quas autem acquiratur, dictum supra.

Quid, si de possessione rei peculiaris agatur?

Agat dominus, aut pater: non servus aut filius: quia, cum sint in potestate, non possunt videri domini esse peculii, aut illud possidere, nimirum possessi ab alio. (3) Quo fit, ut si quidem de rei peculiaris possessione per interdictum recuperandæ, retinendæ, aut adipiscendæ agatur, debeat ipse dominus & pater agere: (4) quod dicitur regula: *Filiusfam. neque retinere, neque recuperare, neque adipisci possessionem rei peculiaris videtur.*

Quomodo retinetur possessio?

Retinendo solo animo. Facilius enim est retentio, quam acquisitio. (5) Quomodo possessionem

(1) *L. 153. ff. de R. I.* (2) *L. 1. §. 3. & l. 3. l. 32. ff. de acq. pos.* (3) *L. 24. in fin. ff. de acq. poss. l. 118. ff. de R. I.* (4) *L. 23. ff. de R. I.* (5) *L. 30 §. 5. ff. de acq. poss. l. 3. §. 5. & 7. & l. 25. in fin. ff. di. l.*

servi fugitivi animo semper retinet dominus, & prædia quælibet, ex quibus non ea mente recedit, ut omisisse possessionem velit. Imò licet alius sit in prædio, non idèò tamèn dominus ejus possessionem amisit, utpotè animo retenta; nisi reversus, ab eo, qui possessionem est ingressus, jure repellatur; cum duo in solidum eandem rem tenere nequeant.

Per quem retinetur?

Per quemlibet, alicujus nomine possidentem: (1) non enim per se solum quilibet possidet, sed & per alium, quamvis ipsius juri non subiectum; puta per colonum, inquilinum, commodatarium, depositarium; ii quidem naturaliter dicuntur possidere; aut, quod verius, in possessione esse, alieno nomine tamèn. Nequè enim possessione rei depositæ ad depositarium transit, aut commodatæ ad commodatarium, sed remanet apud eum, qui concessit.

Quo modo amittitur?

Eo quo acquiritur, cum nihil tam naturale sit, quam singula sic dissolvit, quemadmodum colligata sunt. (2) Ita nulla possessio amitti potest, nisi in qua utrumque in contrarium actum est, hoc est, nisi is, qui jam antè corpore seu naturaliter possidere desinit, desinat quoquè & animum à possessione recuperanda habere alienum; aut quia desperet, vel quia nolit.

Quod

(1) L. 17. §. 1. ff. acq. poss. l. 8. ff. commod. (2) L. 35. l. 153. ff. de R. l. l. 6. §. fin. l. 7. & 8. ff. de acq. poss.

Quod est interdictum Recuperandæ possessionis?

Interdictum Undè vi, quo quis amissam vi exclusiva possessionem recuperare contendit. (1) Quod summam habet æquitatem, scilicet ne violentia alteri sit damnosa. (2) Habet locum in dejecto è possessione rerum corporalium, saltèm directum quasi possessione rei incorporalis, utile interdictum competit.

Cui datur hoc interdictum?

Datur dejecto è possessione rerum corporalium immobilium (nam pro mobilibus datur actio Vi bonorum raptorum) qui eas possidebat suo, non alieno nomine: (3) & quidem tempore dejectionis, sive civiliter, sive naturaliter, sive per alium, sive justè, sive injustè; nam & prædioni & spoliatori hoc interdictum succurritur. (4) Et non tantum, si ab alio, vi, clam, vel præcario possideat, verum etiam si ab ipso deiciente: quod ita inductum in odium spoliationis, ut proinde exceptio domini frustrà opponatur.

Adversus quem datur?

Datur adversus eum, qui vi deicit, sive per se, sive per alium, jubendo, & ratum habendo, quia rati habitio in delictis mandato æquiparatur. (5) Tenetur etiam dominus, cujus familia deiecit, sed is liberari potest noxæ deditione. (6) Jure novo ex-

00 4

ten-

(1) §. Recuperandæ. (2) Bar. ad l. 5. §. 13. ff. de vi, & vi arm. (3) L. 1. §. 1. 9. 30. ff. dist. 1. (4) C. in litteris. x. de restit. spol. (5) Dist. l. 1. §. 12. & l. 4. 15. (6) L. fin. C. undè vi.

tenetur hoc interdictum ad eum, qui vacuum alterius possessionem intravit, cum talis à prædone non distet, quippe invadens rem, quam scit non esse suam: scire enim debuit, esse alienam.

Item non distat à prædone, qui propria auctoritate rem occupat, etiam sibi venditam & non traditam, (1) At verò *prædo nemo est, qui pretium numeravit*, licet sciens à non domino rem emerit.

Daturne adversus tertium spoliū possessorem?

Jure Civili non datur, cum sit personale, & conceptum in eum, qui vim fecit. (2) Jure tamèn Canonico & in eum datur, dummodo sciat, se rem à spoliatore habere: (3) quia talis videtur succedere in vitium sui actoris: & non multum intersit quoad animæ periculum, injustè & scienter rem alienam detinere, aut invadere.

Ad quid, & ad quod tempus datur?

Datur ad restitutionem possessionis, & damni omnīs, per dejectionem dati, ne injuria fiat dejecto, & ne ex suo maleficio aliquid dejecti accrescat. (4) Non interest, sint salvæ, an perierint, ad spoliatorem pervenerint, nec ne. Datur intrâ annum utilem, à die, quo dejectio facta, quia actio est pœnalis: post annum ad ea tantum quæ ad spoliatorem pervenerint: ad quæ & hæres tenetur, quia is in lucro versari non debet, sed

(1) L. 126. ff. de R. I. c. 82. eod. in 6. l. 5. ff. de acq. poss. (2) L. 7. ff. de vi, & vi arm. (3) C. 15. & 18. x. de rest. spol. (4) Dict. l. 1. §. 34. & fin. & l. 3. in pr. ff. eod.

sed id ab eo extorqueri. Quod expressit hac Regula Pomponius: *Sicuti pœna ex delicto defuncti hæres teneri non debet, ita nec lucrum facere.*

Estne alia pœna legibus præscripta in eum, qui quem vi deiecit?

Distingue: (1) aut enim sine armis aliquem de possessione deiecit, aut cum armis. Priori casu tenetur de vi privata, cujus pœna est publicatio tertie partis bonorum. Posteriori, de vi publica, cujus pœna est deportatio. (2) Novissimè tales, tanquam turbatores pacis publicæ, banno puniuntur.

Quæ dicuntur Interdicta simplicia: quæ duplicia?

Simplicia sunt; in quibus distinctè sunt personæ Actoris & Rei, adeoque constat quis possideat, vel non possideat. (3) *Duplicia* in quibus par utriusque litigatoris est conditio, nec constat, quis possideat, vel non: & proinde unusquisque partes tam Actoris, quam Rei sustinet. (4)

Simplicia sunt *Restitutoria*, & omnia *Exhibitoria*: in his namque aperte discerni potest Actor à Reo. Actor est, qui desiderat rem sibi restitui vel exhiberi. Reus, à quo desideratur, & restitui vel exhiberi petitur. *Duplicia* sunt, *Prohibitoria*, nempe Uti possidetis, & Verubi: in quibus uterque se possidere affirmat, & adversarium possidere negat.

Quis ordo vetus fuit Interdictorum?

Supervacuum est hodiè dicere. (5) Nam veteres

(1) §. Sed ex constit. (2) L. fin. ff. de vi priv. l. 10. in fin. ad L. Jul. de vi pub. (3) §. Terija. (4) L. 2. ff. de interd. (5) §. Fin. b. t.

ambages ruptæ sunt, solemnitates & formulae abo-
licæ interdictorum, uti & actionum. (1) Hodie si
de possessione inter aliquos controversia incidat,
experimur actionibus utilibus, ut dictum in initio
tituli. Quid autem mores regionum induxerint,
hac in materia, vide pragmaticos.

TIT. XVI.

DE POENA TEMERE LITIGANTIUM.

Coercenda est temeritas Litigantium, etiam
in ipso ingressu litis, id est, citatione:
qua de re poenæ, sive remedia quædam
constituta sunt.

Quotuplex est poena temere litigantium, ejusque causa?

Triplex: Juramentum calumnie, Poena pecuniaria, & Infamia.

Ratio hujus constitutionis est favor tranquillita-
tis, & odium rixarum, quo lites inanes & expen-
sarum modus coercerentur. Est enim rei publicæ
profuturum, ne rebus suis homines abutantur, ne
ve rixis & litium processibus nullius momenti occu-
pati, à magis necessariis avocentur.

Quid est Jurandum calumnie?

Quod statim in initio litis subire tenetur, tam
Actor, quam Reus, (2) Primum jurat Actor, se non
ca-

(1) L. ult. C. h. r. l. r. c. de form. imp. subl.
Myns. Gail. (2) L. 1. h. r.

calumniandi animo litem movere, sed quia existi-
met bono jure causam suam niti. Deinde Reus, se
ideò ad contradicendum venire, quia putet se bo-
nâ instantiâ uti. Unde apparet, hoc jusjurandum
magis esse opinionis, quàm assertionis. (1) Olim
jurabant de calumnia, etiam utriusque partis Ad-
vocati in singulis causis. Hodiernis moribus non
jurant: sufficiente juramento, quod præstant, dum
in ordinem recipiuntur Advocatorum.

Quid insuper hodie litigatores jurant?

Hoc in primis, quod nullam in tota lite super-
fluam exigent probationem, nullam petent dilatio-
nem, lites protrahendæ causa, nisi quam pro veri-
tate putaverint esse necessariam. (2) Item quod ni-
hil penitus causa patrociniis iudicibus, vel alicui
personæ, pro causa dederint, vel promiserint, vel
postea dabunt, promittentve per se, vel per inter-
positam personam, exceptis his, quæ patrociniis causa,
Advocatis, alisque personis dare leges permittunt.

In quibus causis hoc juramentum interponitur?

In omnibus indiscriminatim civilibus, criminali-
bus, mixtis: sive de is plenariè servato iudicii or-
dine, sive summarè & de plano cognoscatur:
sive profanæ sint, sive spirituales: (3) licet
quondam in spiritualibus non nisi de veritate
dicenda jurandum fuerit. (4) Quinimò licet semel in
prin-

(1) L. 2. C. de jurejur. propter cal. (2) Auth. hoc.
sacramentum. Auth. in isto. Auth. princip. C. diff. t.
(3) L. 1. & 2. C. diff. t. c. 1. §. ult. de juram. cal. in 6.
(4) C. 2. diff. t. in 6.

principali causa de calumnia juratum fuerit, id repeti poterit in causa appellationis: quia fortè non caret calumnia.

Quid, si Actor, vel Reus jurare recuset?

Actor quidem, si absque justa causa subire hoc juramentum recuset, instituta actione cadit: quia improbus præsumitur litigator. (1) Reus verò recusans, non videtur nisi justà contradicendi causà, atque ita pro confesso habetur: non quidem ipso jure, sed demùm judicis sententia accedente.

Quæ in temerè litigantes poena pecuniaria est?

Olim in decimam partem litis multabatur actor. (2) Hodie victus victori in expensis litis condemnatur: æquum enim est, ut recuperent expensas, qui per temeritatem adversarii coacti fuerint litem suscipere, utque improbus litigator, præter expensas, etiam damnum inde datum inferre adversario suo cogatur. Præterea tamèn moderatione judicis, qui omninò tenetur victum victori in expensis condemnare: aliàs ex compensatæ censebuntur: uti etiam censetur, cum utraque pars in re dubia justam litigandi causam habuit.

Quid si inficietur quis debitum?

Adversus inficiantes ex quibusdam causis lis crescit in duplum. (3) Talis est actio L. Aquiliæ de damno injuria dato: actio legati ad pias causas; actio depositi ex causa incendii, ruinæ, naufragii, tumultus. In quibus si reus negat se debere, & rem

(1) *Diçl. l. 2. §. 6. & 7. (2) §. Hac autèm. l. 72. ff. de judiciis. (3) §. 1. In fin. b. t.*

in judicium deduci patiatur, condemnatio fit in duplum, cum fatendo posset simpli solutione defungi.

Quando temerè litigantes notantur infamia?

Damnati judicio furti, vi bonorum raptorum, injuriarum, doli mali: (1) quia in hisce judiciis de dolo quaritur, doli autèm actio & condemnatio famosa est: non item condicção furtiva, cum urgeat tantùm rei restitutionem. (2) Similiter damnati directis, non contrariis, actionibus tutelæ, mandati, depositi: quia in directis se fide rupta agitur, in contrariis non agitur de perfidia sed de calculo & interesse actoris, quod ei ratione illius contractus competiturum est.

Quid, si quis ex his delictis non damnatus, sed pactus fuerit?

Si quidem pretio post litem contestatam fuerit pactus, fit infamis: non etiam, si precibus impetraverit, ut ab actione desistatur: (3) quoniam crimen fateti videtur, qui dato pretio paciscitur: non etiam qui precibus impetravit, ne secum ageretur, aut jussu judicis pactus est, cui parere necesse habet.

Quis præterea dicitur temerarius litigator?

Qui, non petita veniâ Judicis, parentem, patronum, vel alios, quibus par honor & reverentia debetur, in jus vocat: (4) in quem, dixi supra, poenam quinquaginta aureorum constitutam esse.

Quid

(1) §. Ex quibusdam. (2) L. 5. & 10. C. ex quibus caus. inf. l. 6. §. 6. ff. eod. (3) L. 18. C. diçl. 1. & diçl. l. 6. §. fin. ff. de his qui noi. inf. (4) §. Fin. b. t. l. 4. & passim. ff. de in jus voc.

Quid est in Jus vocatio, seu Citatio, & quotuplex?

Est, Juris experiendi gratia, adversario absentem diem dicere, quo in iudicio compareat. (1) Et est aut simplex, aut peremptoria. Simplex ea dicitur, quæ citatum non antea contumacem constituuit, quàm tertio facta sit. Peremptoria verò, quæ simplices citationes ita perimit, ut eum, qui in jus vocatus est, si die præfinita non venerit, faciat contumacem.

Quomodo coercetur contumacia in jus vocati?

Ut mittatur actor in possessionem bonorum ejus non fruendi, sed custodiendi causa, dum affectus tædio reus in jus veniat: cujus rei effectus omnibus creditoribus prodest. (2) Recuperat autem reus veniens, & contumaciam suam purgans, rerum suarum liberam possessionem: At si in contumacia perseveret, & fraudationis causa latitet, post annum ex secundo decreto commoda veræ possessionis in petitorum transferuntur, relicta reo proprietatis quæstione. Atque ita jus est in actionibus in rem; in aliis permittitur à Magistratu distractio, venditioque bonorum, nisi antè eam existat, qui defendere vel solvere paratus sit.

Quæ est alia pæna contumaciæ?

Ut absens damno litis coercetur, sententia in eum feratur. (3) An & in eum qui præsens se non defendit, aut interrogatus non velit suscipere iudicium,

(1) Arg. l. 1. ff. de in jus voc. (2) L. 148. ff. de R. l. l. 9. 14. & 30. ff. de rebns auct. jud. poss. l. 2. &c. quib. ex caus. in poss. eat. (3) L. 53. ff. de re jud.

cium, non responderet? Planè: nam jus dicitur contemnere, non tantum qui latitat, sed & is, qui non vult suscipere actionem, & ea facere, quæ ad iudicium pertinent. (1)

Quid, si actor ipse ad iudicium non venerit? aut impediatur vocatum?

Si quidem die constituta non venerit, pœna hujus est, ut possit reus impetrare se ab instantia & observatione iudicii absolvi. (2)

Quod si verò actor ipse adventum ejus qui in jus vocatus est, impederit, factum hoc non adversario nocere debet, daturque ei exceptio, si de pœna promissa conveniatur, eò quod ad iudicium non venerit. (3)

Quot modis fit citatio? & an è domo abduci quis poterit?

Tribus potissimum fit; vel viva denuntiatione, vel edicto publicè proposito, vel re, cum quis vi in iudicium deducitur ex causa criminis: (4) Nam non criminosis, domi suæ apprehendere, & abducere non licuisse reor, sed bona ejus annotari debuisse. (5) Quoniam veteres neminem permiserunt de domo sua extrahi: erat enim domus cuique pro asylo, & turissimum refugio. (6) Ex aliena domo quispiam abstrahi poterat, si modò dominus introitum admitteret.

Ubi

(1) L. 52. ff. de R. l. (2) L. 73. ff. de jud. l. 15. C. eod. l. 155. ff. de R. l. (3) L. 1. §. 3. ff. de eo per quem fact. erit. (4) L. 18. ibi Bar. ff. de in jus voc. (5) L. 103. ff. de R. l. (6) L. 4. §. 5. ff. de damno infecto.

Ubi facienda citatio? & quæ ejus requisita?

Omnibus in locis, quæ sunt in territorio Judicis, jubentis aliquem citari. (1) Quod si citandus conveniri commodè nequeat, in ejus domo facienda erit citatio: propriam sit, an conducta, non interest, modo in ea familiam habeat, non in domo vacua. Citatio familiæ facta tenet & quæ exaudiri à vicinis potest. In scripto facta habere debet nomen citantis, citati, & ejus, ad cujus instantiam fit citatio; exprimenda quoque causa, locus, & tempus comparandi.

Citatio, facta, quid deinceps in judicio agitur?

Offeratur in primis libellus reo; qui si acceptis ad deliberandum inducis, an contendere velit vel non, comprehendendum putaverit, afirmando, negandoque intentionem, exceptionibusque propositis litem contestatur: exceptiones actor replicatione diluit, hanc reus duplicando; eique ita deinceps, donè concludatur, sententia feratur, eaque executioni mandetur, nisi fuerit appellatum.

Quæ igitur sententiæ auctoritas?

Magna: & ejus major, quæ in rem judicatam transivit, adè ut pro veritate habeatur, per lapsum scilicet decem dierum, intrà quos appellatio non interposita, nec obtentu instrumenti postea repeti, nec rescripti Principis, nec sententiæ alterius contra ipsam latæ, rescindi possit; publicè enim interest, ut aliquis sit litium finis; & actor, vel reus, certus sit de jure suo. (2) TI-

(1) L. 203. ff. de V. S. l. 5. §. 2. ff. de injur.
(2) L. 107. ff. de R. l. l. 4. C. de re jud. l. 3. C. sent. vest. non posse.

TIT. XVII.

DE OFFICIO JUDICIS.

Postquàm expositum est, quæ sint partes litigantium, Actoris & Rei, in judicio; superest, ut de officio Judicis dispiciamus.

Quis dicitur Judex?

QUI Jurisdictioni præest, vel qui publicam habet de causis cognoscendi judicandive potestatem. (1) Hanc non habet arbiter, quia privatorum consensu constituitur.

Quæ in Judice requiruntur?

Hæc tria. I. Ut potestatem judicandi habeat.
II. Ut eam habeat in causa de qua lis movetur.
III. Ne suspectus sit illi, qui convenitur. (2)

Quodnam Judicis est officium?

Litigatores audire, eorum causas sedulò examinare, allegationes probationesque discutere; cavere ne jus partis lædendo litem suam faciat. (3) In primis verò illud observare Judex debet, ne aliter judicet, quàm Legibus, constitutionibus, aut moribus proditum est, cum sit legum minister, non moderator; (4) & ut sententiam ferat conformem libello, absolvendo reum, aut condemnando in id, quod deductum in judicium fuerit, non in aliud.

(1) L. 3. C. de jurisd. omni. jud. (2) Novell. 17. Aulicent. ad hæc & l. 9. C. de jud. (3) §. 1. b. r.
(4) L. 18. ff. com. divid.

aliud. (1) Undè cum fuerit officium Judicis angustius in strictis judiciis, egredi Judex datam strictam eorum judiciorum formam nequit: & si egrediatur nullius est momenti, juxta Regulam: *Factum à judice, quod ad officium ejus non pertinet, ratum non est.*

Licetne Judici prætextu æquitatis recedere à legibus?

Non licet: quia Judex legum minister est, non moderator: ideoquè ab earum præscripto recedere non potest, prætextu æquitatis; hoc enim esset non interpretatione laxare leges, sed frangere correctione. (2) Quomodò lex dura & aspera, custodienda est, quia ita scripta est, & clara legislatoris voluntas. Attamen non prohibetur Judex, æquitate quadam obscuræ legis verba inflectere, ut veram legislatoris sententiam assequatur. Et ita in quæstione juris.

Quid, si quæstio incidat facti?

Est quidem facti quæstio in potestate Judicis, non etiam certi juris auctoritas. (3) Ideò convenit, ut sequatur ea, quæ allegata & probata sunt in judicio, non etiam privatam suam scientiam, licet certissimam, quia tutior est ratio finiendarum litium. (4) Et sanè, cum Judex non ut privata persona, sed ut publica, scire debeat veritatem, eam

non

(1) L. 170. ff. de R. I. & c. 26. eod. in 6. (2) L. 1. c. de legib. l. 8. c. de judiciis. l. 12. ff. qui & à quibus manumiss. l. 90. ff. de R. I. (3) L. 15. ff. ad municip. (4) L. 6. §. 1. ff. de off. præf. Covar. l. var. resc. t. 1. Cujac. l. 2. obs. 19.

non aliudè, quàm ex actis & probatis in judicio cognoscere oportet, alioqui si iis contemptis, aut deficientibus, liceat Judici secundum ea, quæ scit, judicare, simul testis & judicis fungetur partibus, quæ pariter in una eademque persona convenire non possunt.

Ostende nunc exemplis, quemadmodum Judex secundum leges debeat judicare: & primò, Quomodò in actione noxali?

In hac Judex procedet hoc ordine, ut eum, cuius servum damnum dedit, condemnet in damni æstimationem, vel noxæ deditionem. (1) Nam præpostera esset condemnatio, si priùs juberet noxæ dedere, deinde in decem condemnaret: quia noxæ deditio introducta est à lege evitandæ condemnationis causa.

Quomodò in actione reali?

In hac, si petitor nihil probaverit, reum seu possessorem, etiamsi nihil ipse præstiterit, absolvet, sin autem petitor probaverit rem suam esse, Judex possessorem condemnabit ad restitutionem, unà cum fructibus. (2) Nam & cum verbum *Restituas lege invenitur, etsi non specialiter de fructibus additum est, tamen etiam fructus sunt restituendi*, deductis impensis. Si tamè n neget, in præsentem se restituere posse, & sine frustratione petat restituendi causa tempus aliquod, id ei indulgendum est dummodò plenè caveat cum fidejussore de litis æstimatione

Pp 2

sol-

(1) Text. hic in princ. l. 6. §. 1. ff. de re jud. (2) §. & in rem. l. 4. c. de edendo. l. 173. §. 1. ff. de R. I.

solvenda, si intrâ tempus, quod ei datum est, non restituerit. (7) Quod si frustratorie videatur tempus petere, statim manu militari res ab eo auferenda est.

Quid, si personali actione actum fuerit?

Lex condemnato, humanitatis gratia, spatium indulget quadrimestre, intrâ quod pecuniam ad solutionem conquirat. (2) Potest tamen tempus illud à Judice ex causa arctari, vel prorogari. (3) Unde si res existet penes ipsum condemnatum, cujus præstandæ facultatem mox habeat, nulla ratio est cur non ad id faciendum confestim cogatur; cum malitiæ ejus indulgendum non sit.

Quomodo Juxta procedet in petitione hereditatis?

Eodem modo, quo in singularum rerum petitione. (4) Nam in utraque actione Juxta condemnabit possessorem: si quidem malè fidei fuerit. in omnes fructus, quos percepit & percipere potuit: (5) si bonæ fidei, in fructus poste inchoatam petitionem, sive litem contestatam perceptos, vel qui culpa possessoris percepti non sunt, quia mora controversia incipit esse malæ fidei possessoris: & quasi prædo qui sciens possidet rem ad se non pertinentem. (6) Quò modo melior conditio fieri dicitur ejus, qui litem est contestatus.

Cum igitur de fructibus æstimandis quæritur: (7) Generaliter, inquit Papianus, constat animadverti

(1) L. 68. ff. de rei vind. (2) L. 2. 3. C. de usur. rei jud. (3) L. 1. § 3. ff. de re jud. (4) §. Etsi hereditas. (5) L. 25. §. 7. ff. de pet. her. (6) L. 86. §. 87. ff. de R. I. (7) L. 62. in fin. ff. de rei vind.

debere, non an malæ fidei possessor fruiturus sit, sed an petitor frui potuerit, si ei possidere licuisset. (1) Nam (ut idem author testatur) cum de fraude disputatur, non quid habeat actor, sed quid per adversarium habere non poterit, considerandum est.

Estne differentia in utraque actione?

Est aliqua, quod in rei vindicatione fructus veniant restituendi officio judicis, qui proinde ut eorum rationem habeat, nominatim sunt petendi. (2) In petitione hereditatis veniant jure actionis, quoniam fructibus augetur hereditas, censenturque cum ea petiti, etsi eorum nulla sit facta mentio in libello. (3)

Quomodo in actione ad exhibendum?

Ut in rei vindicatione, cujus hæc est præparatoria: nempe jubebit, ut reus rem exhibeat cum omni causa, quam habuisset actor, si cum primùm ad exhibendum agebatur, exhibita res fuisset. (4) Ideoque si inter moras exhibendi usucapta aut perditâ fuerit res, nihilominus reum condemnabit in ejus rei æstimationem, habitâ & fructuum medii temporis, quod est inter litem contestatam & rem judicatam, ratione.

Quid, si Familia eriscunda judicio agatur?

Tunc Juxta singulas res singulis hæredibus adjudicare debet, & si in alterius persona prægravare videatur adjudicatio, id est si contingat rem unius

(1) L. 78. ff. de R. I. (2) L. 20. §. 3. ff. de pet. her. & L. 1. C. eod. (3) L. 33. §. 35. ff. de rei vindic. l. 22. C. eod. (4) §. Si ad exhibendum l. 9. §. 5. ff. ad exhib.

præcisiorē esse, hunc alteri, cuius res est minoris, in certam pecuniæ summam condemnabit, ut sic fiat adæquatio. (1) Condemnabit quoquē alterūm alteri, si cohæres solus fructus fundi hæreditarii perceperit consumpseritve.

Quid, si agatur Communi dividundo?

Hic procedet Iudex, prout in superiori actione: (2) si utiquē de pluribus actum fuerit rebus: sin verò de una aliqua re eaque dividua, tunc partes ejus rei singulis adjudicare debet, & si pars unius prægravare videatur, id est, si uni meliorem partem adjudicaverit, eum vicissim alteri in certam pecuniæ summam condemnabit. (3) Sed si agatur de re individua, quæ commodè dividi non possit, tunc totam rem uni adjudicabit, condemnando eundem in certam pecuniam alteri dandam pro rata.

Quid, si Finium regundorum judicio actum fuerit?

Hic dispicere debet Iudex, an necessaria sit adjudicatio: (4) quæ sanè uno casu necessaria est, si evidentioribus finibus distingui agros commodius sit, quam olim fuerint distincti. (5) Nam tunc ex unius agro partem aliquam alterius agri domino adjudicabit; eum vicissim condemnando in certam pecuniam, alteri pro valore partis adeptæ, præstandam. (6) Eum quoquē, qui dolo lapides finales moverit, vel arbores exciderit, condemnare debet, quanti in litem actor juraverit, uti & illum contuma-

(1) §. Si familia. (2) §. Eadem. (3) L. 3. C. tom. divid. (4) §. Si fin. reg. (5) L. 2. 3. ff. fin. reg. (6) D. §. l. 1. & 2. de term. mot.

matix nomine, qui se jubente metiri agros non fuerit passus. Verum eo casu etiam extraordinario judicio de termino moto agitur.

Non enim potest dolo carere, qui imperio magistratus non paruit. (1) Idèò ordinario & extraordinario judicio punitur. Contrà verò qui Judici paruit, aut jussu ejus aliquid fecit, non videtur dolo facere. Quia necesse fuit parere: quæ necessitas fraudis & doli suspicionem excludit.

Quis est hujus adjudicationis effectus?

Quod statim res fiat ejus, cui adjudicata est. (2) Nam adjudicatio est quædam species domini acquiriti, & justa causa usucapiendi. (3) Idque in tribus posterioribus judiciis obtinet: non item in prioribus, in quibus declaratoria fertur sententia, non adjudicatoria: quod enim meum est, amplius adjudicari dari nequit.

TIT. XVIII.

DE PUBLICIS JUDICIIS.

Expositis civilibus, & privatis Judiciis; dicendum est de publicis.

Quæ dicuntur Publica Judicia, & undè?

QUÆ certa aliqua lege constituta sunt: (4) dicta à populo, quasi populi, quod cuius de populo accusatio & persecutio in iis judiciis plerumquē permessa: aut potius, quia ad populum

Pp 4

per-

(1) L. 199. & l. 157. ff. de R. I. (2) Text. b. in fin. (3) L. 17. ff. de usucap. (4) §. 1. h. t.

pertinet facinorum, publicam quietem gravissimè turbantium, cognitio & vindicatio.

In quibus Publica Judicia conveniunt ac differunt à Privatis?

Conveniunt, quia in utrisque offertur libellus, in utrisque litis fit contestatio, in utrisque recipiuntur probationes, in utrisque fertur sententia, eaque executioni mandatur. (1)

Differunt in duobus, nempe in instituendo & exercendo judicio. Instituuntur judicia publica Accusationibus; privata Actionibus. (2) Accusatio extendit, ut admissum crimen, publicæ utilitatis causâ in exemplum vindicetur: Actio ad persecutionem juris privati spectat. Exercentur publica judicia, obstringente se accusatore ad poenam talionis per inscriptionem libelli, reo apprehenso, & in vincula coniecto, quod in judiciis privatis est incognitum. Imò & in publicis cessat hodiè talionis poena.

Quotuplicia sunt Publica Judicia?

Publicorum judiciorum quædam *Capitalia* sunt, quædam *non Capitalia*. (3)

Capitalia sunt, quæ ultimo supplicio, morte scil. vel naturali, vel civili, ut deportatione, aut poenâ metalli delinquentes afficiunt. (4) *Non Capitalia*, ex quibus pecuniaria poena est, aut in corpus aliqua coercitio vel relegatio. Ex omni autem publico judicio, sive capitali, sive non capitali, damnatus infamia notatur, quæ est famæ seu existimationis privati.

Quot

(1) *Text. b. in pr.* (2) *L. 7. C. de accus. l. fin. ff. de priv. del.* (3) *§. 1. b. t.* (4) *L. 2. ff. eod. l. 6. in fin. l. 7. ff. de poen. & l. 7. h. t.*

Quot sunt hujusmodi Judicia?

Enumerantur hoc Tit. sedecim: Crimen læsæ Majestatis, Adulterium, Stuprum, Homicidium, Veneficium, Parricidium, Falsum, Vis publica, Vis privata, Raptus, Peculatus, Plagium, Ambitus, Crimen Reperundarum, Annonæ, & Residui.

DE CRIMINE LÆSÆ MAJESTATIS.

Quid dicitur crimen læsæ Majestatis?

Quod olim adversus populum Romanum, vel ejus securitatem; hodiè adversus summum Principem Imperique statum, propriè committitur. (1) Impropriè etiam adversus Legatos Principis, ejusve Consiliarios, cum & hi pars corporis sint ipsius Principis.

Quanam, & quibus modis hoc crimen committunt?

Committunt omnes, qui prodiones pacificationesque ineunt cum hostibus adversus Rempubl. seu Principem: (2) & hi perduelles dicuntur: uti & illi, qui exercitum in jussu Principis colligunt, qui seditionem in Rempubl. concitant, vel ejus eversionem meditantur. Denique qui jura, Principi soli reservata, sibi adscribunt, vestigalia nova absque ejus auctoritate imponendo, adulterinam monetam cuedendo, carceres privatos habendo, aut publicos effringendo. (3)

Quomodo tales plectuntur?

Olim alii gladio, alii cruce, quidam exilio mul-

ta-

(1) *§. Publica autem.* (2) *L. 1. 3. 4. pen. ff. de h. t.*
(3) *L. 2. C. de falsa mon.*

tabantur. (1) Hodie verò semper quidem morte, sed pro gravitate criminis, sæpè graviore afficiuntur. Quin & reorum memoria post mortem damnatur, nempe omnibus eorum bonis Fisco vindicatis, nulloque hærede relicto, qui mortuorum personam repræsentet.

Cæterum non prius bona Fiscus vindicat, quàm exsolutum fuerit æs alienum, & creditoribus satisfactum, eoque pertinet regula: *Ea sola deportationis sententia auferit, quæ ad Fiscum perveniunt.* (2)

Sentiuntne ergo & pœnam aliquam liberi?

Omninò: (3) nam masculi, quia in his paterni, hoc est, hæreditarii criminis exempla metuantur, à materna avitave successione habentur alieni: ex testamentis extraneorum capere vetantur, sunt perpetuò egentes & pauperes: infamia eos paterna semper comitatur, sive antè, sive post reatum fuerint producti. Fœminis Falcidia in bonis maternis est concessa, & mitius poniuntur quod fragilitas sexus eas minùs audere faciat.

Est quidè acerbum, parentum scelera filiorum pœnas lui: (4) sed tamèn hoc antiquum est, & omnium civitatum legibus comparatum, ut charitas liberorum amicos parentes Reipublicæ redderet. Freqvens istud est in jure, ut prima causa & principalis ratio consideretur, non item id quod per consequentiam contingit.

Quæ

(1) L. 5. c. ad L. Jul. Majest. (2) L. 97. ff. de R. I.
(3) Diff. l. 5. §. 1. & 3. (4) Cic. Ep. 19. ad Brut.

Quæ sunt in hoc Majestatis crimine singularia?

I. Quòd quisque ejus criminis conscius teneatur illud deferre, adeoque & patrem filius supplicio offerre, quoniàm salus patriæ, parentis salutis anteponenda est. (1)

II. Quòd in eodem crimine puniatur & conatus, quamvis effectum non habuerit, modò voluntas aliquatenùs exierit in actum.

III. Quòd servi in caput domini torqueantur: uti & omnes postulati, & ad testimonium provocati, si res exigat, nulla dignitatis, generis, militiæ habita ratione: imò & ipsi accusatores.

IV. Quòd quilibet, etiam aliàs non idoneus, ad accusandum admittatur. (2)

V. Quòd patrato hoc crimine statim auferatur bonorum administratio: alienationes non teneant, debitoresque reo hujus criminis non rectè solvant.

VI. Quòd crimen hoc non extinguatur morte, sed & post eam judicium institui peragique possit, ut nisi à successoribus purgetur, hæreditas defuncti Fisco vindicetur, memoriaque ejus damnetur. (3)

VII. Quòd damnati eo nomine non soleant luge-
ri. (4)
Quæ pœnà afficiuntur, qui divinam lædunt Majestatem?
Tales utpotè blasphemii, & sacrilegi, capitalem luunt pœnam: quæ tamèn consuetudine mitigatur.

(1) Diff. l. 5. §. pen. (2) L. 3. & 4. c. diff. l. 1. 7. & 8. ff. cod. (3) Diff. l. 5. §. 4. & l. fin. 6. c. cod.
(4) L. 11. §. 5. ff. de his qui not. infam.

tur. (1) Hæretici autem Jure Civili privilegiis omnibus exuti, & à Rēpubl. administratione omnique dignitate remoti, exilio puniuntur: quandoquē & ultimo supplicio. (2) Quoniām gravis est divinitam, quā humanam offendere Majestatem. Jure Canonico excommunicantur ut & eorum fautores ac defensores, Filii usquē ad secundam generationem fiunt beneficiorum incapaces.

DE ADULTERIO.

Quid est Adulterium, & undē dictum?

Adulterium est alieni tori, seu matrimonii violatio: (3) quæ committitur non tam affectu, quā re ipsā. Dicitur adulterium, vel propter partum ex altero conceptum, vel quia alter ad alterum se conferat.

A quibus committitur?

Jure Civili propriè, committitur ab uxore, sive ea conjugato sive soluto se commisceat: (4) à marito non aliter, quā si se nuptæ. Ratio posita est in sanguinis perturbatione, prolisque incertitudine: ideoquē majorem in uxore castitatem leges desiderant, & rectè, quoties enim uxor integrè pudicitiam non servat, verus pater cognosci non potest. Undè etiam sollicitatores alienarum nuptiarum, quamvis adulterium perpetrare non potuerint, propter voluntatem perniciosæ libidinis extrā ordinem censentur.

In

(1) Nov. 77. Auth. Gazaros, & aliis. (2) L. C. de hæret. c. 9. & 13. de hæret. c. 2. cod. in 6. (3) L. 6. ff. ad L. Jul. de Adult. (4) Dicit. l. 6. §. 1. l. 13. §. 5. cod. tit. l. 1. ff. de extræor. crim.

In quas personas adulterium committitur?

Committitur in nuptam, etiam necdum consummato matrimonio: (1) quia consummatio matrimonium non facit, sed consensus & affectio conjugalis. (2) In sponsam alienam non committitur: sic enim non violatur torus, sed spes tori. Quia tamē leges nequē matrimonium qualecumque, nec spem matrimonii violare permittunt: ideo sponsus, qui postea maritus esse cœpit, injuriam sibi sponsæque hoc modo illatam, jure vindicat. (3) Porro jus Canonicum, quia eandem in utroque, & marito & uxore, castitatem desiderat, ideo damnat adulterii virum se nulli etiam liberæ miscendum.

Quæ est pœna hujus criminis?

In paganis olim fuit relegatio, in militibus deportatio: hæc pœna successit in locum aquæ & ignis interdictionis. (4) Postea pœna gladii seu mortis introducta fuit, quam & novissimā suā Constitutione Justinianus in masculis, quidem approbavit: mulieres verò verberibus eas in monasterium detruendi præcepit, concessa potestate maritis eas intrā biennium recipiendi. (5) Nos interim, nisi profectitia sit, innocenti asseritur, servata liberis extantibus proprietate, paraphernalia bona uxori salva manent.

Permissumne patri & marito vindicare hoc crimen?

Leges patri permiserunt filiam in adulterio de-

pre-

(1) L. 30. ff. de R. I. (2) ff. de adult. (3) L. 13. §. 3. l. 15. §. 2. ff. de injur. Sarmient. l. 1. select. c. 5. (4) §. Item lex. l. 5. ff. de quæst. l. 2. §. 1. ff. de panis. (5) Novell. 134. c. 10. & Novell. 117. c. 8.

prehensam occidere, simul cum adultero; non item marito, quia plerumque paterni nominis pietas consilium pro liberis capit; verum mariti calor & impetus facile sævientis refrenandus fuit. (1) Quandoque tamèn marito permissum est adulterum uxoris interimere, non quemvis, sed infamem; & in turpitudinem deprehensum domi suæ tantum, non soceri. *Quid, si vir uxorem in adulterio deprehensam occiderit?*

Facinus hujusmodi impunitum non est, quamvis ultimum ei supplicium remittatur ob justum dolorem, quem difficillimum est temperare. (2) Insuper & lucrum amittit dotis, cum æquum non sit, ut ob facinus suum quis lucrum speret, & conditionem suam meliorem faciat ex delicto, quod poenam meretur.

Accusatio: hujus criminis quibus permissa?

Primum marito, & quidem ex sola suspitione: (3) idque vel jure mariti, intrà sexaginta dies utiles computandos à soluto matrimonio; vel his transactis, jure extranei. Idem tempus concessum est patri jure patris, quod tamèn ei non currit, agente marito: quo lapsa, extraneis ex L. Julia permissum est agere. (4) Sed postea placuit resringere accusationem hujus criminis ad quinque proximas maximèque necessarias personas, quas præsertim dolor ex hoc admissa movere debet.

Quan-

(1) L. 20. & seqq. ff. ad Leg. Jul. de adult. l. 4. C. eod.

(2) L. 38. §. 8. ff. de off. t. & l. 10. §. 1. ff. sol. matr. l. 134. §. 1. ff. de R. I. (3) C. 2. de adult. l. 3. & 6. C. ad L. Jul. de adult. l. 4. ff. de off. t. (4) L. 30. C. eod.

Quandò cessat hujusmodi Accusatio?

I. Si non proponatur intrà sex menses à soluto matrimonio; aut, eo durante, intrà quinquennium. (1)

II. Si maritus accusationem remisit: tacite, vel expressè.

III. Si ei lenocinium obijci possit.

IV. Si uxor sit extrà culpam, ut quia vi compressa, aut justà ignorantia ducta alium pro marito exceperit, aut si probabiliter eum mortuum rata, nupserit alteri.

DE STUPRI CRIMINE.

Quid est Stuprum, ejusque pœna?

Stuprum est illegitimus coitus, sub virgine, vel vidua honestè vivente, commissus. (2) Quia à legibus vindicatur, in honestioribus publicatione dimidiæ partis bonorum; in villioribus coercitione corporis, & relegatione.

Jure Canonico corruptor, quam corruptit, ducere, aut ei dotem, quâ alii nubat, præstare compellitur. (3)

Quod si se quis illi commisceat, quæ prostitutz sit pudicitiz, id, nisi aliud adjunctum sit, Jure Civili non vindicatur. (4)

In eos autèm, qui cum masculis nefandam libidinem exercere audent, pœnam capitis sanxit Constantinus, jubens insurgere leges, & armari jura gladio ultore, ut exquisitis pœnis subdantur infames, qui tantum scelus committere audent, quod non pro-

(1) L. 20. §. 5. & 6. ff. de off. t. (2) Vers. pœnam autem. (3) C. 1. & 2. de adult. (4) L. 22. & l. 27. ff. ad L. Jul. de adult.

proficit scires: (1) ubi Venus mutatur in alteram formam, ubi amor queritur, nec videtur. Consuetudo tales flammis tollit, fundata fortè in Constitutione Theodosiana.

DE HOMICIDIO.

Quid est homicidium?

Homicidium est violenta vitæ hominis ademptio. (2) Hominem intelligi, cujuscumque ætatis, sexus, conditionis. Nam & qui infantem interemit, aut foetum jam animatum abegit, homicidii reus est.

Quotuplex est?

Triples: *Voluntarium, necessarium, & Casuale.* (3) *Voluntarium* est, quod dolo malo & animo deliberato admittitur. *Necessarium*, quod sic servato moderamine inculpatae tutelæ, id est, cum sui defensione, æquabili, & remota ab omni culpa. *Casuale*, quod non data operâ, sed casu non proviso committitur.

Qui tenentur de homicidio, & quatenus conatus puniuntur?

In primis quicumque dolo malo, aut per insidias hominem occiderit, quive hominis necandi causâ eam telo ambulaverit, quamvis voluntas non habuerit exitum: (4) quia non exitus, sed voluntas in maleficiis spectatur. Voluntatem intellige non nudam, sed quæ jam decreta, & ad actum aliquem perducta est.

Sic intelligendum, quod supra dixi, puniri eum non bono, sed dolo malo, qui

(1) L. 31. C. eod. (2) L. 1. §. 2. ff. ad L. Corn. de sic. l. 38. §. 5. ff. de panis. (3) L. 3. & 5. C. ad L. Corn. de sic. (4) L. 1. & 14. ff. di. t.

qui majestatem lædit: & adversus patriam consilia inir. Quia eadem severitate voluntatem sceleris, qua effectum, puniri jura voluerunt. Nec interest hic, quomodo quis occiderit, gladio, telo aliove instrumento: & an vulnerando, an ope, consilio, mandato, vel facto, vel falso testimonio, mortis causam præbuerit.

DE VENERFICIO.

Quid, si veneno quis occiderit?

Æquè homicidii reus erit, graviusque punietur, cum plùs sit, veneno hominem exstinguere, quam gladio occidere: tantò enim sunt graviora scelera, quantò difficiliùs caveri possunt. (1) Qua ratione, quisquis venenum dat, scelere se obligat, etiam si non nocuit.

Planè & is, qui incantationibus, vel arte magica, in eam causam utitur, ultimo supplicio punitur. Sic etiam, qui de salute Principis, vel summa Reipubl. mathematicos, ariolos, vaticinatores consulit, cum eo, qui responderit, capite plectitur.

Quæ est pœna homicidii?

Olim fuit deportatio, cum bonorum publicatione, hodiè ut plurimum est gladius, si dolo malo homicidium factum sit. (2) Quod si non dolo, sed lasciviâ, aut culpâ, etiam latâ, id acciderit, mitior pœna imponitur: nulla verò ei, qui injustè impetentem sese tuendo illicò premerit, cum non occidendi causa,

Qq sed

(1) Di. l. 1. & l. 5. 6. 7. & fin. C. de malef. & Mathem. (2) Text. h. l. 3. §. 5. ff. ad L. Corn. de sicar. & l. 3. C. eod. l. 1. C. undè vi.

sed defendendi, necasse videatur, ac vim vi repellere omnes leges omniaque jura permittant.

Quid ab hac pœna sunt immunes?

Immunes sunt, qui fortuito casu eadem perpetrarint: item furiosi & impuberes: hos enim innocentia consilii tectur, illos fati infelicitas excusat. (1) Quod si forte sint proveciores & capaces doli mali, penes Judicis arbitrium erit; statuere & moderari pœnam. Ebrsius, sensu omnino labefacto, leviùs puniendus: nisi quis Imper. Caroli V. Constitutionem sequi malit: prout enim quis leviùs delinquit, ita & leviùs punitur, ob vehementem, iræ & amoris æstum, aut justum dolorem, quem temperare in tanta perturbatione est difficile.

Perspicendum proinde est judicanti, ne quid aut duriùs, aut remissiùs constituatur, quàm causa, ætas, conditio deposcit. (2) Nec enim severitatis, aut clementiæ gloria affectanda est, sed perpenso judicio, prout quæque res postulat, statuendum.

DE PARRICIDIO.

Quid est Parricidium?

Est asperissimum crimen, quod committitur ab eo, qui parentis, vel filii, aut omnino adfinitatis ejus quæ nuncupatione parentum, continetur, fata præparaverit. Dictum quasi Patricidium: quod crimen lex Pompeja de parricidiis persequitur.

Quid

(1) L. 1. § 5. C. ad L. Corn. de sicar. l. 12. ff. eod.
(2) L. 11. ff. de panis.

Quid lege illa cavetur?

Ut non is tantùm parricidii teneatur, qui patrem, matrem, avum, aviam, fratrem, sororem, patrualem, patruum, avunculum, amitam, aliumve quempiam cognatorum occiderit: sed & mater, quæ filium filiamve. Pater verò ea lege non tenebatur, quippè habens jus vitæ & necis in filium: sed quia jus istud dudum sublatum, cum patria potestas in pietate, non in atrocitate consistere debeat, parricidii pœna æquè pater, ut mater afficitur.

Quæ est pœna in Parricidas statuta?

In eos quidem, qui parentes vel filios occiderint, more majorum instituta fuit hæc pœna, ut parricida nequè gladio, nequè ignibus, nequè ulli alii solemnium pœnarum subjiciatur, sed virgis sanguineis cæsus, insutusque culeo, sive corio bovino, cum cane, gallo gallinaceo, vipera, & simia, in vicinum mare, vel annem projiciatur: (1) ut omnium elementorum usu vivus carere incipiat, qui vitæ datori vitam eripuerit, & cœlum superstiti, mortuo terra, auferatur.

Alii qui vel fratrem, vel alium remotiori necessitudine conjunctum necaverint, capitis pœna pleuntur aut ultimo supplicio macantur. (2) Sanè si per furorem aliquis parentem occiderit, satis ipso furore punitur, diligentiusque custodiendus erit.

Quid si criminis consilii exstiterint?

Licèt tales sint extranei, tamèn parricidii pœna

Qq 2

af.

(1) L. 9. ff. ad l. Pompej. de parr. (2) Diç. l. 2 §. 1. & 2.

afficiuntur, maximè si in ipso actu opem præstiterint. (1) Quod si solum sint sceleris gnari, non autem ejus complices & auxiliatores, mitius, putà relegatione, coercentur.

DE CRIMINE FALSÆ

Quid est Falsum, & quotuplex?

Est Actus dolus, animo corrumpendæ veritatis ad decipiendum alterum adhibitus. (2) Committiturque falsum variis modis.

I. *Consensu*: (3) quando quis alium circumvenit aut fallit, rem alienam distrahendo, vel duobus unam & eandem rem diversis contractibus vendendo.

II. *Verbis*: (4) si Judex, pecunia corruptus, legibus contrariam sententiam tulerit: aut testis, dolo malo, in judicio falsum deposuerit.

III. *Scriptis*: (5) si notarius testamentum vel aliud instrumentum falsum composuerit, dictaverit, scripserit, subjecerit.

IV. *Abusu*: (6) quando quis, sciens & dolo malo, falsis fabricatisque ab alio instrumentis utitur.

V. *Falso*: quicumque nummos raserit, tinxerit, finxerit, percusserit.

Quæ est pœna Falsi?

In liberos quidem homines est deportatio, in servos ultimum supplicium. (7) Quandoquæ & in libe-

(1) L. 6. ff. diff. t. (2) §. Item lex. (3) L. 21. ff. ad L. Com. de fals. (4) L. 1. §. 2. & l. 31. ff. diff. t. (5) L. 2. ff. & l. 8. C. de fals. (6) L. 8. & 19. ff. diff. t. (7) Text. hic.

beris pœna capitalis est, quando id magnitudo exigit delicti. (1) Est & sua testamentariis pœna, propter inhabilitatem consequendi id, quod quis vel sibi aut suis adscripserit. (2) Excusabit tamèn adscribentem, si is filius sit aut servus, justa recognitio & approbatio testatoris. Testamentum nuncupativum, non comprehenditur S. C. Liboniano. Si illud tamèn in scripturam redigatur (ut solet) per Notarium, isque sibi quid adscribat, non erit immunis à pœna.

DE FALSA MONETA.

Quæ pœna est ejus, qui falsam monetam cudit?

Tenetur hoc crimine, qui adulterinam monetam cudit vel probam abradit, minuit, tingit. (3) Pœna olim ordinaria L. Cornelie plectebatur. Hodiè ex constitutione Constantini, flammæ exustionibus mancipatur: facultatibus ejus universis additis Fisco, unà cum domo, in qua excusa fuerit moneta, etiam si dominus ignoraverit ibi falsam monetam cudi. Nec id mirum: cum hoc maleficium ad læsionem quodammodo spectet Majestatis.

DE VI PUBLICA ET PRIVATA.

Quæ dicitur vis Publica, & Privata?

Vis Publica appellabatur olim, quam contra jus & fas, personæ publicæ inferebant: *Privata*, quam

Qq 3

pri-

(1) L. 2. & 3. C. de his qui sibi adscrib. (2) Vide quæ ibi dixi. Clarus in §. falsum n. 27. (3) Diff. l. 8. §. & 19. ff. de fals. & l. 1. & 2. C. de falsa mon.

privati homines faciebant. (1) Verum postea, vis publica coepit dici, quae cum armis Privata, quae sine armis committitur. Ne igitur quid vi fiat, non tantum interdico adversus spoliationes prospectum est, sed & lege Julia de vi. (2) Quod docet juris regula qua utimur; ut quidquid omnino per vim fiat, aut in vis publica, aut in private crimen incidat.

Qua est poena utriusque?

Poena Vis Publicae, olim erat aquae & ignis interdictio: ex Lege Julia de vi publica, in liberos quidem homines coepit esse deportatio, in servos ultimum supplicium: (3) quod & hodie in usu est; nam seditiosi, pacisque publicae violatores, aut vivi exuruntur, aut suspenduntur. (4)

Poena Vis Privatae, est publicatio tertiae partis bonorum cum infamia. Hodie cum bona non publicentur, arbitraria ut plurimum est poena.

DE RAPTO VIRGINUM.

Quid est Raptus?

Raptus committitur, cum virgo, vidua, aut Sanctimonialis, improbe, & per vim abducitur, ut corrumpatur, aut corrupta uxoris loco habeatur. (1) Quod, non solum ad injuriam hominum, sed etiam ipsius omnipotentis Dei irreverentiam committitur, maxime cum virginitas, vel castitas corrupta restitui non possit.

Qua

(1) L. 7. ff. de vi publ. (2) L. 152. ff. de R. I. (3) S. Item L. Julia l. 1. & ult. ff. ad L. Jul. de vi priv. (4) Auth. bona, c. de bonis proscript. (5) S. fin. autem. h. t.

Qua est poena hujus criminis?

In raptorem, in complices, & adjuutores, in adversario est capitis, seu gladii, sive nolentibus, sive volentibus feminis, hoc facinus fuerit perpetratum, vel attentatum: (1) ut omnis peccandi occasio, atrocitate poenae capitalis adimatur. Etenim si hujus poenae metu raptores ab hujusmodi facinore se temperaverint: nulli mulieri, sive volenti, sive nolenti, peccandi locus relinquatur: quia hoc ipsum velle mulierum, ab insidiis nequissimi hominis, qui meditatur rapinam, inducitur: Nisi enim eam sollicitaverit, & odiosis artibus circumvenierit, non faciet eam velle in tantum scelus sese prodere.

Quid praeterea tenentur hoc crimine?

Parentes, quorum maxime vindictae intererat, si videlicet scelus hoc dissimulaverint, injuriam ac dolorem gratiae, precibus, aut pretio remiserint, poena deportationis in eos decreta. (2) Denique servum hujus criminis reum lex jubet concremari.

DE CRIMINE PECULATUS.

Quid est Peculatus?

Est furtum pecuniae, aut rei sacrae: quamquam rei sacrae furtum proprie Sacrilegium dicatur. (3) Dictum à Pecore: quod ab eo initium fraudis acceperit. Crimine ergo Peculatus tenentur, qui pecuniam sacram, religiosam, aut publicam abstulerint vel perceperint, & in rem suam verterint, aut

Q₄

fe-

(1) L. un. C. de rapt. virg. (2) Dist. l. in fin. (3) L. 1. ff. ad L. Jul. pec. S. item lex. Julia.

fecerint, quo quis auferret, vel interciperet, vel in rem suam verteret.

Quæ est poena peculatus?

Primo fuit poena quadrupli, cui deinde successit deportationis poena. (1) In Magistratibus autem, qui tempore administrationis publicas pecunias subtraxerint, eorumve ministris, capitalis est animadversio.

DE CRIMINE SACRILEGII.

Quæ est hujus criminis poena?

Sacrilegi, igne, aut gladio, aut ad bestias, Judicis arbitrio damnantur: ubi tamèn & temporis & ætatis & sexus rationem habere debet. (2) Qui verò sacrilegium improprie committit, hoc est, qui res sacras è locis profanis furatur, is aut manus aut pugni amputatione, aut perpetuo exilio secundùm leges plectitur. Potest & ad hoc crimen referri furtum rei religiosæ de loco religioso.

DE PLAGIO.

Quid est Plagium?

Est liberi hominis, vel servi alieni suppressio, dolo malo facta. (3) Undè apparet, quid à furto distet. Nequè enim liberi hominis fit furtum, nec servi alieni suppressio dicitur furtum, si non fiat lucri faciendi causa. (4) Committitur autèm plagium ple-

(1) Dist. l. 1. & l. 2. C. cod. (2) L. 4. §. 2. l. 6. 9. & 10. ff. ad L. Jul. pecul. Cujac. in par. ff. h. (3) §. est & inter. (4) L. 1. 2. 3. ff. ad l. Fab. de plag.

rumquè, celando, permutando: licèt etiam vendendo, emendo, donando, permutando, fieri non dubitetur.

Quæ est poena plagiariorum?

Olim fuit pecuniaria, sed ea ut levior jam primò in usu esse desiit: & successit poena metalli, si ve exilii. (1) Hodie in duobus casibus est ultimum supplicium. I. Si plagarius vendat servum, vel liberum hominem aliò asportandum. II. Si plagarius filium alterius, superstite adhuc patre, supprimat.

DE CRIMINE AMBITUS.

Qui tenentur hoc crimine?

Qui honores officiaque publica, dolis, precibus, vel pretio, ambiunt & impetrant. (2) Cui correspondet in foro Pontificio Simonia.

Quæ poena tales puniuntur?

Ex L. Julia prohibentur repetere honores ad quinquennium. (3) Uno casu est poena gravior, cum propter vim publicam deportatio decernitur: sed illa Romæ obtinuit: in municipiis fuit poena aureorum centum cum infamia. Quin & in hoc crimine ambientis conatus pro ipso flagitio habetur: & pari sorte lex scelus, quam sceleris punit voluntatem quæ ad actum aliquem perducta est.

Producta quoquè poena in eum qui administrationis ratione non reddita, idem officium repetit: & continuat.

DE-

(1) L. 6. & l. 7. C. dist. 1. (2) §. Sunt præter. l. un. ff. ad L. Jul. de ambitu. (3) L. un. C. ad L. Jul. de ambit. & l. 1. C. Theod. cod.

DE CRIMINE REPETUNDARUM.

Quod est hoc crimen?

Est eorum, qui in officio publico constituti, pecunias, donum, aut munus aliquod, ut officium suum impertiantur, vel contra officium faciant, capiunt. (1) Nam cognitores omnes ac Judices à pecuniis atque patrimoniis manus abstinere debent; nec licet alienum jurgium in suam prædam vertere. Turpissimum enim est ob rem judicandam pecuniam accipere, & pretio habere addictam fidem, & religionem.

Quæ pœna hujus?

Pœna est extraordinaria; nimirum modò levior, ut relegatio, vel ordinis amotio: modò gravior, ut exilium sive deportatio, vel etiam ultimum supplicium: pro modo scilicet, & qualitate sceleris. (2) Quo fit, ut si ob hominem necandum Judices pecuniam acceperint, aut licet non acceperint, calore tamen ducti interfecerint, innocentem, capite plecti debeant. Cæterum, si civiliter agatur, jubent leges eos quadrupli restitutione atque exilio damnari.

Datur & in hæredes actio, intrà annum dumtaxat à morte ejus, qui arguebatur; nec immeritò: (3) cum principalis questio ratione officii super pecunia turpiter quæsitæ moveatur, quam iniquum esset cedere lucro hæredis.

DE

(1) Text. b. in fine l. 1. & ff. ad L. Jul. repet.
 (2) L. 7. §. fin. ff. de i. t. (3) L. 2. ff. & l. 5. C. eod. l. ult. ff. ad L. Jul. pec.

DE CRIMINE FRAUDATÆ ANNONÆ.

Quod est hoc crimen?

In quod incidunt illi, qui annonam flagellant, vexant, aut faciunt, quominus abundans ejus copia sit, vel ut major caritas. (1)

Quæ est pœna hujus delicti?

Ex L. Julia, quænam fuerit, non satis constat hodierno jure alia est pecuniaria viginti aureorum, alia relegatio, alia metalli, pro qualitate delicti & personarum conditione.

Est & crimen *Stellionatus*, id est, cujuscumque iniquæ dissimulationis, & imposturæ, & turpitudinis in fraudem alterius factæ.

DE RESIDUIS.

Quid est crimen Residuorum?

Est pecuniæ publicæ, alicui ad usum publicum datæ & attributæ, retentio, sive in solidum sive ex parte. (2) Quæ enim in privata pecunia dicuntur, *Reliqua*, ea in publica pecunia sunt *Residua*. Committunt igitur crimen hoc, qui publicam pecuniam sibi ad usum aliquem creditam non erogaverint, vel in alios usus consumpserint: quive eam, quæ ex publicis rationibus aliave causa apud eos remanserit, non restituerint.

Quæ pœna cõvenitur?

Convicti criminis, præter infamiam, etiam in

ter-

(1) L. 1. & 2. ff. ad L. Jul. de annonæ. (2) L. 2. & 4. §. 3. ff. ad L. Jul. pec. & de resid.

tertiam partem ampliùs, quam debent, multantur: (1) ut si retinuerint ducentos aureos præstent tercentos. Nonnumquàm etiam in duplum damnantur. (2) Competunt autem hæc iudicia, peculatus, de residuis, & repetundarum, (ut paulò antè dixi) etiam in hæredes; nec immeritò, cum in his quæstio principalis ablatæ pecuniæ moveatur.

(1) *Diçt. l. 4. §. 1. (2) L. 9. C. de erogat. mil. annon. l. ult. ff. diçt. t.*

FINIS.

IN-

INDEX

TITULORUM.

Prior numerus Librum, posterior Titulum designat.

DE

A	Acquisitione per arrogationem.....	3.	11.
A	Actionibus.....	4.	6.
	Adeptione legatorum, & translatione eorum.....	2.	22.
	Adoptionibus.....	1.	11.
	Assignmente libertorum.....	3.	9.
	Attilliano tutore, & eo qui ex lege Julia & Titia dabatur.....	1.	20.
	Auctoritate tutorum.....	1.	21.
	Bonorum possessionibus.....	3.	10.
	Capitis diminutione.....	1.	16.
	Codicillis.....	2.	25.
	Curatoribus.....	1.	23.
	Divisione stipulationum.....	3.	19.
	Donationibus.....	2.	7.
	Duobus reis stipulandi & promittendi.....	3.	17.
	Emptione & venditione.....	3.	24.
	Eo, cui libertatis causa bona addicuntur.....	3.	12.
	Exceptionibus.....	4.	13.
	Excusationibus tutorum, vel curatorum.....	1.	25.
	Exhæredatione liberorum.....	2.	13.
	Fideicommissariis hæreditatibus, & ad Senatusconsultum Trebellianum.....	2.	23.
	Fidejussoribus.....	3.	21.

Fi-

Fiduciaria tutela.....	1.	19.
Gradibus cognationum.....	3.	6.
Hæredibus instituendis.....	2.	14.
Hæreditatibus, quæ ab intestato deferuntur.....	3.	1.
Hæredum qualitate, & differentia.....	2.	19.
Ingeniis.....	1.	4.
Injuriis.....	4.	4.
Inofficioso testamento.....	2.	18.
Interdictis.....	4.	15.
Inutilibus stipulationibus.....	3.	20.
lis, qui sui vel alieni juris sunt.....	1.	8.
lis per quos agere possumus.....	4.	10.
Justitia & Jure.....	1.	1.
Jure naturali, gentium, & civili.....	1.	2.
Jure personarum.....	1.	3.
Legatis.....	2.	10.
Legitima agnatorum successione.....	3.	2.
Legitima agnatorum tutela.....	1.	15.
Legitima patronorum tutela.....	1.	17.
Legitima parentum tutela.....	1.	18.
Lege Fusia Caninia tollenda.....	1.	7.
Lege Falcidia.....	1.	22.
Lege Aquilia.....	4.	3.
Libertinis.....	1.	5.
Litterarum obligationibus.....	3.	22.
Locatione & Conductione.....	3.	25.
Mandato.....	3.	27.
Militari testamento.....	2.	11.
Noxalibus.....	4.	8.
Nuptiis.....	1.	10.
Obligationibus.....	3.	14.

Obli-

Obligationibus ex consensu.....	3.	23.
Obligationibus, quæ ex quasi contractu nas- cuntur.....	3.	28.
Obligationibus, quæ ex delicto nascuntur.....	4.	1.
Obligationibus, quæ ex quasi delicto nascuntur.....	4.	5.
Officio Judicis.....	4.	17.
Patria potestate.....	1.	9.
Per quas personas cuique acquiratur.....	2.	9.
Per quas personas nobis obligatio acquiratur.....	3.	29.
Perpetuis & temporalibus actionibus.....	4.	12.
Pœna temerè litigantium.....	4.	16.
Publicis judiciis.....	4.	18.
Pupillari substitutione.....	2.	16.
Qui testamento tutores dari possunt.....	1.	14.
Quibus ex causis manumittere non liceat.....	1.	6.
Quibus modis jus patriæ potestatis solvatur.....	1.	12.
Quibus modis tutela finiatur.....	1.	22.
Quibus alienare liceat, vel non.....	2.	8.
Quibus non sit permissum facere testamentum.....	2.	12.
Quibus modis testamenta infirmantur.....	2.	17.
Quibus modis re contrahatur obligatio.....	3.	15.
Quibus modis tollatur obligatio.....	3.	30.
Quod cum eo, qui in aliena potestate est negotium gestum esse dicitur.....	4.	7.
Rerum divisione, & acquirendo dominio.....	2.	1.
Rebus corporalibus, & incorporalibus.....	2.	2.
Replicationibus.....	4.	14.
Satisfactione tutorum vel curatorum.....	1.	24.
Satisfactionibus.....	4.	11.
Senatusconsulto Tertilliano.....	3.	3.
Senatusconsulto Orficiano.....	3.	4.

Ser-

Servitutibus.	2.	3.
Servili cognatione.	3.	7.
Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur.	4.	9.
Singulis rebus per fideicommissum relictis.	2.	24.
Societate.	3.	26.
Stipulatione servorum.	3.	18.
Substitutionibus.	2.	15. & 16.
Successione cognatorum.	3.	5.
Successione libertorum.	3.	8.
Successionibus sublatis, quæ fiebant per bonorum vendiciones, & ex senatusconsulto Claudiano.	3.	13.
Suspectis tutoribus vel curatoribus.	1.	26.
Testamenti ordinandis.	2.	10.
Tutelis.	1.	13.
Verborum obligationibus.	3.	16.
Vi bonorum raptorum.	4.	2.
Usu & habitatione.	2.	5.
Usufructu.	2.	4.
Usucapionibus, & longi temporis præscriptionibus.	2.	6.
Vulgari substitutione.	2.	15.



